

Heinrich Dringenberg Johannes Graaß

Disputatio Ethica De Principiis Actionum Humanarum

Rostochi[i]: Richelius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730138879>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1657

Henrich Ringelberg
Wassm Graaf:



DISPUTATIO ETHICA
DE
PRINCIPIIS
ACTIONUM
HUMANARUM,

Quam

D. T. O. M. A.

*Consentiente Amplissima Facultate Philosophica
Alma ad Varnum Academia,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI ac EXCELLENTISSIMI

DN. HINRICI DRINGENBERGII,

Phil. Mag. atqve Ethic. Profefs. Publ. Fautoris
sui ac Patroni, omni observantiâ colendi,

Placide disquisitioni subjicere

JOHANN Graaf / Junior,
Dusselopoli Westph. A. & R.

In Auditorio Majori die 26. Aprilis. 2 Maji



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.

ANNO MDCC LVI.

Man. Nese...



PRÆNOBILI, STRENUO
ac GENEROSO

DN. GERHARDO
GRAAS/

Sac. Cæs. Majest. Mietatori Ca-
strorum Vice-Præfecto, simulq; in re
fortificatoria constituto Inq; meurn: ut vocant,
ac Centurioni quondam, nunc verò in fortalio Hun-
garico Limitaneo Newheüsel supra Vexillum præsi-
diariorum Germanorum Capitaneo, meritissimo,
Fratri suo germano summopere
venerando.

*Pro gratiarum actione & ulteriori
commendatione, primitias hæc.*

Offert. & Dedicat.

A. & R.

JOHANNES Graas/ Junior,
Dusselopol Westphalus.



PROËMIUM.



Anta hujus, de principiis actionum humanarum, doctrinae dignitas, tanta ejus utilitas, ut quod JCio Ulpiano de tractatu doctrinae, in integrum restitutionis, dicere licuit, quod ejus utilitas commendatione non egeat, quia semetipsam satis ostendat. *l. i. ff. de in integr. restit.* id ferè meliori jure dicere nobis liceat de hac ipsa actionum doctrina. Nulla quippe, in Ethicis nobilior, aut ad omnem vitam civilem, cognitu magis necessaria doctrina, eà, quæ tractat de principiis actionum nostrarum. Nam quid sponte, quid ultrò fiat, quid ab invitis, quid destinato animo, quid ex affectu, aut imbecillitate? ex his tanquam uberrimo fonte hauriendum est, adeò quidem, ut si quis hæc dignoscere nequeat, eum totius humanæ vitæ rationem ignorare necesse sit. Quod cum in omni negotio, præcipuè tamen in causis capitalibus animadvertimus, ubi non levia aut ludicra petuntur præmia, sed de vita hominis, de sanguine, ac spiritu ejus agitur, pro quo mundi Redemptor ipse sanguinem suum effudit. Id quod JCu passim satis luculenter præcipiunt, præsertim quando in ponderandis delictis versantur, ubi notandum esse ajunt; Consulto aliquid admittatur,

tur, an casu? & sanè in omnibus criminibus distinctio hæc, poenam aut justam eligere, aut temperamentum admittere debet *Ulp. l. 5. ff. de penis*. Hinc Paulus JCrus. dum inquit voluntas & propositum distingvit maleficia *l. 53. ff. de furt.* Videtur imitatus esse divinum legislatorem Moysen; qui tunc in cæde diligenter inquirere jubet, quo animo commissa sit, utrum per incogitantiam, an verò per odium, utrum dolosè an per similitatem: Posteriores capite damnat, prioribus concedit asyloꝝ immunitates *Numer. 35. v. 15. 20. 21.* Arrigant E. aures ii, qui quondam judicum munere functuri sunt. Nimirum quorum officium hac ex parte gravissimum & periculosissimum censeſi debet, utpote qui non hominum, sed DEI Omnipotentis judicium exercent, quem semper præsentem & acutum Inspectorẽ habent. *Deuteron. 1. v. 17. Nov. 24. c. 2.* Hinc seriò ipsis perspiciendum est, ne quid durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcit, nec enim iis severitatis aut clementiæ gloria affectanda, sed propensò judicio, prout quævis res postulat statuendum est. *l. 11. ff. de penis.* Et quemadmodum architecti seu Geometriæ inæqualia spacia seu opera perpendiculo suo ad æqualitatem redigunt, ita judicem, id quod durius & remissius est exactò judicio ad æqualitatem perducere oportebit; Neque enim sententiam iudex præcipitanter dare debet, sed cuncta prius accuratè rimari, & sedulò expendere jubetur *c. judicantem II. caus. 30. q. 5.* ex quo nimirum principio actio suam contrahat originem. Quod nisi quis fecerit? Vix proprias, nedum aliorum actiones & negotia dijudicare, & decernere poterit. Hæc E. penitus mecum recogitans, animum ad hanc ipsam de Principiis actionum humana-

rum materiam aliquantò studiosius pensitandam, ap-
puli; largam ad me quondam messem, hac ex segete re-
dundare posse, persuasus. Interea autem bene & com-
petenter uniuersa geruntur si rei principium decens sit &
amabile DEO; quare antequam re ipsi immergamur,
præmittimus ardentem Divini Numinis invocationem.

*Da Pater augustam menti conscendere sedem,
Da fontes lustrare boni, da luce repertâ
in Te conspicuos animi desigere sensus.*

THESIS I.

Statuenda esse humanarum actionum principia
vel ex pauculis iis, quæ præfari libuit, sufficienter clare-
scit. Caterum in omni tractatu, prior verborum ratio
haberi solet. *l. i. ff. de R. C.* Præmittenda igitur vocis principii
significatio. Sumitur autem principii vox: 1. Pro cuiusvis rei ini-
tio ita ut non involvat respectum ad aliquod consequens, verum
habeat significationem negativam, ut nim. neget antecessorem
alterius rei. 2. Sumitur per excellentiam de principio primo,
sive de eo, quod tantum est principium & non principiatum.
Quemadmodum *Cic. lib. 1. Tusl. qq.* ait: principii nulla est origo,
nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex nulla re alia.
3. Denotat omne id ad quod aliud consequitur, sive primum sit,
sive non, aliave interveniat varietas specialis: & hæc est hujus
loci.

II. Hisce præmissis, definimus principium hoc modo: prin-
cipium est, à quo aliquid quocumque modo dependet, aut si mavis
hanc: *Arist. 5. Metaph. c. 4.* Principium est, unde aliquid aut est,
aut fit, aut cognoscitur. Per quæ ultima definitionis verba spe-
ciales principiorum modi insinuantur. Sæpe enim solent defini-
tiones fieri, per divisionem sive enumerationem specierum vel
specialium conditionum. *Scheibl. Metaphys. lib. 1. c. 21.* Vox au-
tem illa, fit, comprehendit in sese illa principiorum genera, quæ

concurrunt ad rem in fieri, sive suo produci, atque adeo continentur hic ea, quæ sunt principia actionum sive motuum, habent enim ista esse fluens sive successivum, non permanens. v. g. Crebræ actiones sunt principium habitus. Sæpius enim repetita actio gignit habitum, hincque habitus dicitur qualitas ex crebris actionibus orta.

III. Actionis verò vocabulum latius est, ita, ut sæpius effectiōnem, quæ tamen ad artem & opus strictè sumpta pertinet, sub se complectatur, si quis nimirum pulsat lyram, si canit aut saltat, hæc cum propriè artis sint, nihilominus tamen latè sub actionis vocabulo continentur, verum effectiōnis significatiōe hic remota, in propriâ actionis significatiōe acquiescimus, intelligimusque actiones non interiores, sed exteriores, hæc enim cum in sensus & publicam lucem incurrant, actiones *αγατ' ἐξωτερικῶν* in civilibus appellantur: actiones autem interiores sunt tantum principia cæterorum, ita electio, consultatio & voluntas actiones sunt, nam eligere, consultare, velle, est agere, & omnia ad prædicamentum actionis pertinent, quare principia illa, de quibus res est, non omnium, sed tantum exteriorum actionum principia sunt.

IV. Cæterum omnis actio est vel spontanea, vel invita; *Spontaneam* dicimus eam, *cujus principium est in ipso agente, sciente singularia, in quibus actio spectatur*, definiēte ipso Philosopho 3. Eth. cap. 1. Duo sub se comprehendit hæc definitio: 1. Agentis de singulis circumstantiis scientiam, quam aliàs conscientiam vocant, 2. Voluntatis libertatem, ut agens quoque illam actionem velit. Conscientiam quod attinet, dicimus eam esse, judicium intellectus, quod dicat, bonum quid aut malum in vitâ esse. Quemadmodum autem hoc judicium duplex est, vel de faciendis, vel de factis, sic nobis hoc loco, non de hoc, sed de illo judicio sermo est, quippe quod denotat, quempiam vel secundum, vel contra conscientiam agere; hoc verò quod quis rei jam modo gesta conscius sibi sit. Quod autem conscientiam huc pertinere asseveramus, ratio hæc est, quia conscientia est quasi præco naturalium atque divinarum LL. proponitque homini & suggerit, quid tam naturali, quam divino juri consentaneum vel dissentaneum sit,

fit, quidve in uniuersa vita fieri vel non fieri debeat, adeoq; constituit principium proximum, à quo dependet, & ad amissum exi-
guntur omnes actus, ut rectè faciat, qui agit quod conscientia
præcipit, malè autem, qui non agit, quod iubet, vel facit contrari-
um; idq; tam verum est, ut nulla dispensatio efficere possit, ut
agat quis contra conscientiam propriè sic dictam, & tamen non
peccet; sicut enim quamdiu manet præceptum peccat qui contra
illud agit, ita etiam quamdiu manet conscientia, contradictio in-
adjecto est, agere contra eam, & non peccare.

VI. Conscientia autem illa triplex est: Recta, probabilis &
erronea. Quotuplex namque est iudicium intellectus de re qua-
piam vel facienda vel omittenda, totuplex etiam est conscientia:
jam verò istud iudicium triplex est, rectum sive apertum, proba-
bile & erroneum. E. Conscientia recta est, quæ id faciendum vel
omittendum dicit & præcipit, quod omninò faciendum vel omit-
tendum est; sive quod cum jure divino & humano indubitatò con-
sentit vel pugnat. Conscientiæ hujus effectus est, quod simplici-
ter ad faciendum vel omittendum nos obliget: Ratio est, quia
dictamen rectæ conscientiæ cum jure tam divino, quam humano
congruit. Ubi tamen notabis i. certos imperandi modos, aliud
namque est præcipere propriè, aliud quoque est suadere; sic quo-
que diversa sunt, vetare & dissuadere. Finge, conscientiam tibi
dictare castitatis vel coelibatus amorem ex illo Apostoli 1. Cor. 7.
Bonum est homini uxorem non attingere: velim omnes homines
esse, ut ipse sum; sed unusquisque proprium donum habet ex DEO,
alius quidem sic, alius sic. Dico autem non conjugatis & viduis,
bonum iis esse, si remanserint, ut & ego sum. Hic evidenter Pauli
consilium poteris discernere, à præcepto; laudat namque Aposto-
lus virginitatem, non præcipit, ait enim indifferens esse, sive vivas
in coelibatu, sive in conjugio; adeoq; in neutro te peccare. In-
ter hoc etiam requirit conscientia recta, ut ad id quod absolute
præcipit, promptus esse debeas, præsertim si res sit in tuo collocata
arbitrio, secus, si tua voluntas ex alterius pependit, adq; alterius
eiusdem nutum adstricta sit; cavebis enim tum temporis, ne quid
fiat contra voluntatem tuam superioris.

VI. Et

VI. Et hoc est discrimen, quod 2. in hac conscientia recta materia probè notandum esse existimamus; differunt enim inter se personæ, quibus conscientia imperat, aut nim. præcipit personis sui juris, qui suo remigio rem gerunt, aut alieno juri subjectis, utpote quibus incumbit parere mandato superioris; de illis præcedente thesi dictum: nunc de his, quibus, si quid præcipitur vel demandatur, defertur vel causæ cognitio & judicium, vel pura tantum & mera executio. 3. Notabimus rem, quæ demandatur; hæc autem aut continet in se errorem tolerabilem, aut intolerabilem. Quibus præcognitis, faciliè conscientia satisfacere poteris. Persona cui demandatur si judex est, & error intolerabilis, vix admittere poterit mandati executionem; quis enim hominibus magis obediendum, quàm DEO, contra expressum S. Scripturæ testimonium, *Actor. 5.* affirmabit? quod si verò fungetur munere executoris, atque error fuerit tolerabilis, tenetur obsequi mandato, etiamsi sciat sententiam esse injustam, nihilominus eandem exequi tenetur, nisi à superiori impetret, ut ab hoc onere sese absolvat, *c. pastoris. §. qui a verò. Extra de officio & potestate judicis delegati.* & hæc est *οκίαυεγφία* conscientia recta.

VII. Sequitur nunc ejus oppositum, quod est conscientia errans, sive erronea, sic dicta ab errando, quia à vero justitia & rectitudinis tramite aberrat, judicatq; faciendum vel omittendum, quod faciendum vel omittendum non est, adeoq; objectum hujus conscientia est error. Error autem hic in duplici perstat differentia; est namque vel de re per se bonà, vel malà, sive necessaria; vel de indifferenti. Pone nimirum quempiam sibi persuasisse, conducere Ecclesiæ, si contra legitimum Magistratum ultro arma capesseret: erraret hic in materia necessaria; per se enim malum est, rebellare legitimo Magistratui. Si quis autem e contrario imaginaretur, Christiano homini non licere castra sequi, aut bellare; erraret in materia indifferenti; militare enim & non militare indifferens est, atque permissum. Effectus hujus conscientia est, ut ad peccandum adigat eum, qui tam juxta, quàm qui contra eam agit, nisi tamen error sit invincibilis vel de re indifferenti, ibi tantum peccat, qui contra, non autem qui secundum eam facit.

VIII. Et

VIII. Et hæc erat conditio conscientiæ errantis; nunc probabilis indolem videamus. Probabilis autem est, iudicium proximè practicum, collectum ex duobus principiis, quorum utrumque, vel saltem alterutrum non est evidenter certum, sed tantum probabile, in eo namque consistit differentia hujus, à conscientia recta, quod hæc certitudinem non habet, sicut illa; Convenit autem in eo, quod æquè rectè iudicet. In hac conscientia formanda consideranda sunt tria: 1. Principia probabilia, eaq; sunt vel interna sive artificialia, quæ ex ipsius rei natura petuntur: sunt enim rebus opinioni formandæ substratis quæ infixæ, ex quibus ope ingenii, artisque eliciuntur, vel externa sive inartificialia: quæ ab autoritate virorum, eruditione, experientiâ, prudentiâ, & canitiæ venerandâ conspicuorum hauriuntur. Vocantur autem externa non quasi in illis ad rem præsentem applicandis, arte nulla opus sit, sed quia ab illa illorum inventio non deducitur. His Arist. in Rhet. annumerat leges, testes, pacta, constitutiones jusjurandum & ejusdem generis alia. 2. Ipsa opinio probabilis, quæ ex prædictis principiis oritur. Hæc itidem est in duplici differentia. Aut enim est 1. probabilior vel minus probabilis, vel 2. tutior vel minus tuta; quamvis tamen interdum eveniat, ut opinio sit æquè probabilis, ac tuta & vice versa. Quid autem tum obstabit, quo minus eam sequamur? quando verò harum altera est magis probabilis quam tuta, non sanè sine prudentiâ rem aggredi oportebit, in nostro enim situm est arbitrio, utrum probabiliori an tutiori opinioni actiones nostras conformare velimus; illa enim pluribus rationibus nititur, hæc à peccati periculo aliena. Pro ratione tamen circumstantiarum interdum satius est rejicere probabilio rem & sequi minus tutam, & si vicissim opinio magis tuta, quam probabilis, atque ita careat peccandi periculo, rejectâ probabilitate sequamur tutiorem. Denique opinio neque tuta neque probabilis est, ex qua tandem oritur conscientia dubia.

IX. Hic loci 3. considerandum est subjectum, sive personam, exenumeratis principiis & opinionis speciebus sibi conscientiam probabilem formantes. Sunt autem ex vel 1. doctæ, atque prudentiâ, rerumque usu pollentes vel rerum ignari sive illiterati. 2. Vel

B

sui

fui juris vel aliis subiectæ. Qui propria experientia & scientia clarescunt, propriis hisce suis virtutibus suffulti ex propria opinione facile sibi formabunt iudicium conscientia probabilis, conductibilis tamen nonnunquam facient, si propria opinione semotâ, iudicium suum ad aliorum opiniones, multorum auctoritate stabilitas, atque quotidianâ praxi usque receptas adaptent & conforment, suaque opinioni, alias nequam contemnenda præferant. At indoctus magis credat probabilitati, suamque iudicium superstruat doctissimorum opinioni, quamque à peritis & probis doceri & approbari videt, licet ea non usque adeo tuta sit; quæ tamen omnia de personis sui juris affirmavero, aliter enim sese res habet in subditis, quamvis enim hi sapius dubii hæsitent, illudque quod à superioribus ipsis demandatum est, minus probabile, e contra verò sua ipsorum opinio probabilior videatur, nullo tamen modo suam opinionem mandato superiorum præferant, sed superioris mandato obtemperent, dum modò mandatum illud cum lege naturali, & divina non pugnet, aliàs præstaret millies inoti, quam DEUM vel levissimè offendere: obiter tamen notare poteris obligare hanc conscientiam probabilem ut rectam, ita, ut benè agat qui juxta, malè qui contra eam agit.

X. Quamvis Authores hic mentionem faciant, Conscientia dubia, quæ inter utramque contradictionis partem hæsitat; & scrupulosa, quando quis iudicat sibi licere aliquid, ita tamen, ut aliquis subsit scrupulus, nos tamen de his quicquam agere superfluedimus, ac ipsi discursui, quæ de iis fortè monenda fuerint, reservabimus. Nunc ordo nos deducit ad voluntatis libertatem, tanquam secundum, quod in SPONTANET definitione Aristotelicâ contineri supra dicebamus. Libertas autem illa his tribus absolvitur: Voluntate ipsâ, consultatione, Electione. Primum de voluntate quæ notanda sint videbimus. quorum I. erit, homonymia voluntatis. Semel enim accipitur latè, pro omni appetitione, quæ non homini solum, sed & feris competit. Semel propriè pro appetitu mentis, contradistincto, nedum ab appetitu sensuum, sed & à prælectione, tum operè sibi conjuncta & sic est hujus loci. *Piccol. gr. 2. c. 28. 2.* Est ejus definitio, quod nim. sit boni cum
recta.

recta ratione appetitio: cum recta ratione inquam, ut excludantur abhinc bruta rationis lumine destituta, voluntas enim illis non attribuitur, nisi in lata significatione, & improprie. 3. Subjectum quod est sola anima intelligens, quæ consistit in homine. 4. Objectum, quod est bonum tam verumquam apparens, malum enim voluntas non appetit nisi materialiter, sub ratione boni, sive utilis, sive jucundi. Secus formaliter sub ratione mali, ita ut ipsa malitia sive malum dicatur ratio sub qua aliquid appetatur ita *Honorandus Dnus meus Præceptor M. Andreas Prucknerus in suo compendio Metaph. p. 67. dub. 2.* (Socraticos, & Academicos ab utroque latere nos impugnantes refert & refutat *Golius: Ethic. lib. 3. p. 113.*) 5. Differentiam ejus, 1. a Spontaneo, omne enim voluntarium est spontaneum, sed non vice versa. 2. Ab electione, à qua differt objecto, quia voluntas est impossibile, eorum quæ à nobis fieri non possunt, & denique finis, id quod de electione vix affirmaveris. 3. à Consultatione, quia hæc ad illa tanquam finem refertur, versaturque circa media per quæ ad actionis finem possumus pervenire. Voluntas verò est solius finis. *Gol.*

XI. Notabimus sexto diversos voluntatis actus alii namque 1. sunt elicit, quos ipsa voluntas ex se elicit, alii imperati, quos licet ipsa voluntas ex se non eliciat, excitat tamen potentias alias è quibus eliciat. 2. alii interiores & nudæ potentia, alii exteriores, quæ sunt perfectio actuum interiorum. Priores quod attinet actus, sciendum, quod in actibus elicitis semper libera sit & maneat voluntas, in imperatis verò secus, adeò quidem, ut contradictio in adjecto sit, coactè & per vim quæmpiam quid facere velle. Cæterum quod de posterioribus admonendi sumus, dicebam exteriores esse perfectionem interiorum: quemadmodum n. motus perfectus non est, nisi cum terminum agat ita nec velle perfectum est, nisi actio sublequatur. Hinc exteriores, interioribus perfectionem addunt dupliciter, vel enim plenè quis quid vult, vel non vult plenè, sed ex parte tantum. Si priori modo voluntas sese habeat, exterior actus addit tantummodo delectationem & vel commodum, vel damnum proximi, ut si peccare volueris & impeditus fueris, æque malum illud est, ac si perpetrasses factum, sal-

tem quod non adfuerit tibi tanta libido quanta adfuisset, in ipso facinore committendo, neque per id ullum damnum in proximum redundarit. Si posteriori modo? Supplet etiam quod voluntati deerat: perinde enim est, si quid fecisti, etiamsi non plene id facere volueris. Sic in libidine peccatum est, etiamsi sine effectu.

XII. 7. Sese nobis offerunt voluntatis modi, qui consistunt vel in iubendo factum, quemadmodum David Uriam interfici iussit, vel ratum habendo, vel in consentiendo, sive id fiat consiliis, effectum habentibus, sive facto (praesertim in delictis atrocioribus, in his namque etiam erimine non secuto consulens punitur l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar.) vel alterius institutum collaudando, vel commodum ex facinore perceptum participando; vel non impediendo damnum, cum posset ac deberet: vel denique hominem flagitiosum & scelestum receptando, quaecumque faciendo facile culpam principalis in sese transmittet quis, & recipiet, quemadmodum saluberrime leges eandem poenam in talem statuunt, qualem in autorem ipsius facinoris l. 15. ff. d. r.

XIII. Alterum quod absolvit voluntatis libertatem est Consultatio. Priusquam enim quid incipias consulto, & ubi consulueris mature facto opus est, Sallust de bell. Catil. Propterea non intempestive priori loco ante electionem agimus de consultatione, cuius enarrabimus quinque partes. Quarum 1. est eius definitio, quod scilicet sit, ratiocinatio, de mediis aptis ad consequendum finem. Consultamus ergo non de finibus, sed pertinentibus ad finem. Removendi tamen dubii causa, distingve inter finem subordinatum & ultimum; de fine subordinato potest esse consultatio, quia tum habet rationem medii ad ultimum finem tendentis. 2. Pars est differentia eius ab inquisitione, electione & voluntate; ab inquisitione differt 1. ut species a genere, nam inquisitio instituitur de quibusvis. 2. Fine. Inquisitio enim finem habet cognitionem non actionem, Consultatio vero non de quibusvis, sed, ut dixi de mediis instituitur, & actionem pro fine agnoscit.

no. XIV. Differt ab Electione i. qualitate, nam consultamus de incertis, eligimus autem ea quæ jam per deliberationem certa facta sunt. 02. Tempore, nam prius consultamus, postmodum eligimus. 03. Subjecto, consultare enim est actus & officium intellectus; electio verò voluntatis, cum non nisi volentes eligamus. 04. Conveniunt tamen objecto, (quod est tertia consultationis pars) quippe tam electio, quam consultatio versatur circa agibilia, ea nimirum i. quæ sunt in nostra potestate: tentare enim ea extrinsecus agere quæ fieri nequeunt, insani penitus est, ac furiosi. *Piccol. gr. 2. c. 28.* 2. Ad nos pertinentia, ne falcem immittamus in alienam messem, nam cane pejus & angve fugienda curiositas. 03. Contingentia, quorum dubius est & incertus eventus, qualis plerumque solet esse belli exitus, sive victoria. Quæ enim perse possunt dijudicari, & certis præceptis, atque regulis sunt definita, quo pacto fieri debeant, de talibus nemo sana mente præditus deliberat. *Gal. lib. 3. Ethic. c. 3. p. 107.*

XV. Rejicit E. Consultatio i. impossibilia, sive ea præsentia, ut quomodo vastum maris Oceanum exhaurire possis, sive præterita, quæ enim facta sunt, per neminem fieri potest, quin infecta reddantur. Quæ quamvis velle, non tamen de iis consultationem instituire possumus, ut, o mihi præteritos referat si Jupiter annos. 2. Sempiterna & perpetua: ecquis enim consultabit de divinis, omnipotentia videlicet & bonitate DEI? quo etiam referenda sunt ea, quorum contraria nunquam possunt esse vera ut bis duo non esse quatuor: Item absolute necessaria. 3. Naturalia, quæ vel fiunt eodem modo, ut ortus & occasus solis; vel diverso, neque tamen in hominis potestate situm, mutare ea, aut impedire, ut pluvix, venti, siccitates. 4. Ea quæ pendent à fortuna, nam fortuna adversatur rationi. *Cic. l. 2. de divinat.* Omnis autem consultatio niti debet ratione, alioqui inanis est & supervacanea.

XVI. Patet E. verum consultationis objectum, succedit quarta ejus pars, nempe subjectum, quod est Intellectus: hujus enim officium est dispicere, quid quopiam in negotio facto opus sit. Subjectum verò insequitur quinta consultationis pars, Consultandi

sultandi modus. Qui tres principales omnis bonæ consultationis partes includit. Consultationis namque spectandum; 1. Initium, 2. Medium, 3. Finis. Circa initium videndum an res sit facilis? & solus consultationi sufficiens, an verò ardua momentosa & gravis, quo casu adjungas tibi consiliarios necesse est: eos, non quoslibet sed bonos (quia à consiliario malo animam servare debemus. *Syr. 29.* Consilia enim impiorum sunt fraudulenta *Prov. verb. 9.*) Prudentes, cum fatuus enim consilium non habeas. Benevolos tibi, & amicos (coram extraneo enim ne facias consilium. *Syr. c. 8.*) qui tam insitis quàm acquisitis bonis fulgeant.

XVII. Inter insita referuntur 1. bonum ingenium, idq; placidum tamen & candidum, nec tamen nimis subtile & ingeniosum, sed mediocre. Sic Machiavellus, quamvis fuerit acutissimus, parùm tamen bonus, aut felix Casari Borgiæ Consiliarius, quicquid se excuset, & fatum accuset. *Just. Lips. ad 3. pol.* quem refert à *Chockier. 3. polit. Aphor. c. 1.* 2. Forma corporis dignitati conveniens pulchritudo enim est fraus silens, ad eò ut sine verbis persuadere possit. Speciesq; corporis simulacrum est mentis, figurâq; probitatis ait divinus *Vit. Ambros. 2. de Virginitate.* 3. Ætas nec juvenilis admodum, nec senilis, sed mediâ, mediæ autem illa consistit non tam in prolixiori barba aut longa annorum ætate, qualis reperitur in sexagenariis, jamjam de ponte, ut antiquitus fieri solebat de jenciendis, nec consistit in illa audaculorum juvenum ætate, quibus præter gloriæ, & potestatis cupiditate nihil inest experientie, sed in ea ætate ubi est perfecta virtus.

XVIII. Ad acquisita trahuntur 1. pietas, quâsi Consiliarii fuerint destituti, cæterarum virtutum omnium carebunt fundamento, ita, ut ubi pietas sublata est, fides etiam, & societas generis humani, & una excellentissima virtus, Justitia tollatur necesse est. *Cic. pro Plane.* 2. Prudentia civilis, tam publ. quam privati juris accurata, maximè ejus quæ in praxi consistit. Hic namque erit optimus, hic poterit cavere recte, jura, qui & leges tenet. ait *Comicus in Epidic.* Hæc 3. præsupponit Philosophiam practicam, innumerabilia enim accidunt singulis horis quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est. *Seneca Epist. 16.* 4. Historiarum cognitio,

gnitio, præclarum est enim mentem historiarum cognitione refer-
tam habere, nam historia conglobata quædam & coacervata sapi-
entia est, hominumque multorum mens in unum collecta. Quid?
quod si præteritorum memineras de futuris etiam rectius judica-
bis, & consilium futuri ex præteritis venit; quemadmodum ait
Halicarnass. de antiquitat. Rom. p. m. 929. Optimè de futuris consul-
tant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt. Qui-
bus omnibus eloquentia subjungenda; non tamen ea, quæ in ver-
borum ampullis, quàm quæ in eorundem medulla consistit, ne
quod Sallustius de Catilina, quod ipsi satis quidem eloquentiæ, sa-
pientiæ tamen parum adfuerit idem de ipsis prædicandum sit.

XIX. Verùm hæc est rara avis in terris, nigroque similima
cygno. Si quos tamen per DEI gratiam adeptus fueris (ajo per
DEI gratiam, nam Consilium prudens, occasio commoda, felix
exitus unius sunt tria dona DEI) commode tum demum circa me-
dium consultationis deliberabis. 1. De mediis eorumque intueberis.
1. Numerum, utrum uno, an pluribus paucioribusve mediis finem
exoptatum consequi possis? 2. Qualitatem, an sint facilia, possibili-
lia, licita & honesta? nam quæ facta ledunt pietatem, existimati-
onem & verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra
bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff.
de condit. instit.* Quocirca delectum institues inter media. Faci-
lia enim difficilioribus pauciora pluribus, honesta & licita inho-
nestis & illicitis sunt preferenda. 2. Quomodo illis mediis sit
utendum? eo usque nimirum deliberabis de mediis donec tan-
dem ultimum assequaris, unde tandem initium alacriter facien-
dum. Quod enim ultimum in inventione, primum erit in exe-
cutione & actione.

XX. Porrò cogitandum, an ea media per nos solos fieri
possint, an verò adhibito aliorum auxilio; si posterius? tales ad-
hibendi sunt adjuutores & socii laborum, qui sint industrii fideles,
& nobis amici, nullum quippe majus boni imperii instrumentum,
quàm boni amici. *Plin. Paneg.* Quo facto quærenda sunt instru-
menta, quia ad omnes ferè actiones, aliqua requiruntur instru-
menta. Instrumenta verò sunt vel animata, ut sunt amici, servi,
jumenta

jumenta quorum opera nonnunquam in expediendis negotiis utimur, vel inanimata, ut securis, malleus, culter gladius. Circa finem consultationis itidem dispicies, an per nos & nostrates deliberata effici queant, nec ne? si negotium vires nostras excesserit? insania esset supra vires aliquid suscipere, aut, vel DEO vel naturæ bellum indicere velle. Sin verò possibile fuerit, negotium ad manus suscipiendum, idq; maturè (non tamen præcipitanter; Scelera enim impetu bona autem consilia mora valefcunt. *Tacit. lib. 1. Histor.*) ne occasio rei gerendæ amittatur.

XXI. Tertium quod absolvit voluntatis libertatem, est Electio. Hanc *Liebnthal/ Coll. Eth. exercit. 5. q. 4.* non immeritò consultationis filiam nominat. Electio enim actionis initium est, ubi enim consultare destitimus, ibi eligere & agere incipimus. Ut autem, quæ de electione notanda sint, facilius innotescant, enumerabimus ejus 1. Definitionem. Est enim ex consultatione nata appetitio, earum rerum quæ sunt in nostra potestate. Desumpta est hæc definitio ab objecto, quod versatur circa ea, quæ à nobis fieri possunt. Excluduntur E. ea, quæ per nos fieri non possunt, quæque sunt impossibilia; id quod supra th. 10. circa finem modo dictum. 2. Subjectum, quod est voluntas; est enim actus voluntatis. 3. Differentiam, 1. à spontaneo, 2. ab irâ & cupiditate, 3. à voluntate, 4. ab opinione. A spontaneo differt tanquam latius & angustius. Bestiæ enim & pueri multa agunt quæ spontanea dicuntur, nunquam tamen fiunt ex electione: potest quidem animal brutum cum pascitur, ex multis herbis pro lubitu & prout hæc aut illa magis arriserit hanc præ illa decerpere, nullatenus tamen erit dicenda electio, nisi electionis vocabulo abuti velis; Causa in promptu est, quia electio ex multis antea inter sese collatis, liberè unum accipit, jam verò bruta res neutiq; inter sese conferre possunt, sed naturali instinctu in eas feruntur; Sic cum infantibus tetra quædam & fœda imago opponatur, abhorrent à deformi, & contra delectantur pulchra; & si duo poma apponantur arcepto uno statim petit & alterum, verum cum hæc non ratione fiant, dicendum id ex solo sensuum judicio fieri. Adde, quod ea, quæ ab adultis ex improyiso fiunt, spontanea quidem

deum dicantur, quæ tamen ex deliberatione non fiunt, quia omnem deliberationem antevertunt.

XXII. Præterea electio à cupiditate differt, quia electio est hominis propria, conjuncta enim est cum ratione & consilio: cupiditas verò etiam brutis competit, id quod ipsum nomen innuit. Electio enim dicitur, quod unum præ aliis eligat. Eodem modo differt ab ira, quæ cum potius furor brevis dicatur, quis eam electionem nominabit? quid à voluntate differat th. 19. explicuit. Ab opinione autem differt 1. Subjecto, quia opinio est in intellectu, Electio in voluntate. 2. Objecto, Opinio enim versatur tam circa entia quam non entia, Electio autem circa agenda. Præterea opinio æstimatur veritate & falsitate, Electio verò bonitate & pravitate rerum gerendarum. 3. Effectu, non enim ex opinione tales dicimur, qualia sunt ipsa illa, quæ opinamur; id autem fit ex electione, qui enim iusta eligit, pro iusto habetur. 4. Differt in eo, quod opinio de rebus incertis, electio de certis fit. 5. Non qui optima opinantur, statim optima eligunt. Illi nimirum vident meliora probantq; , deteriora tamen sequuntur.

XXIII. Hactenus de actione Spontaneo-voluntaria dictum. Restat invita sive involuntaria, quæ est cum principium aliunde provenit. Estq; vel violenta, vel imprudens. Quarum illa à vi coacto, hæc per ignorantiam admittitur. Actio violenta est, quæ vi aliqua fit, adeo ut principium ejus sit extra agentem & patientem. Exemplum ejus habetur 2. *Maccab. 6* ubi Antiochus Rex Judæos hederâ coronatos vi traxit ad sacrificia Bacchi. Subdividitur hæc in violentam absolute (quæ requirit 1. ut principium sit externum, nam si internum esset, naturalis potius, quam violenta dicenda esset *Piccol. gr. 2. c. 15.* 2. Ut externum illud principium sive causa efficiens ad producendam actionem sit satis valida. 3. Ut agens vel patiens ad actionem illam nihil adjumenti afferat) de qua modo dictum, & in violentam secundum quid.

XXIV. Vocant eam alio nomine mixtam, voluntariam pro tunc, pro tempore, pro conditione, *Piccol. gr. 2. c. 13.* Causa mixta dicatur, ea est, quia partim voluntaria est, partim invita. Hujusmodi simpliciter considerata, magis invita est quam volun-

C

taria.

aria. Illiusmodi, quando ratione finis, temporis, aliarumq; circumstantiarum consideratur, magis est voluntaria quam invita. Ratio est, quia ejus finis & circumstantiæ sunt in nostra electione & potestate; etiam si enim voluntas nostra in illis non planè sit libera, quia tamen agenti datur optio, ut alterutrum eligat vel faciat, idèd voluntaria appellatur. Determinata, quippe hoc modo voluntas (improprie tamen loquendo, quia non est planè libera & integras; vis enim & metus liberæ voluntati repugnat) etiam est voluntas. *h. 22. de Rit. nupt.* quia ejus principium est in agente, & quicquid ex electione fit, illud est spontaneum.

XXV. Hujus mixtæ actionis quatuor agnoscimus gradus. Quorum primus est, quando propter magnum aliquod bonum consequendum indecorum quippiam, attamen sine scelere, perpetramus: ut olim Solon & Zopyrus fecere. Alter gradus est, quando ob rem exigui momenti aut lucri, turpe aliquid admittimus, quod fecere ii qui pro aëre, pro spiritu captando, proq; lotio suum exegerunt vestigal; pertinet huc quoq; Esavus primogenituram pro pulmento vendens. Tertius eorum est, qui ob maximos dolores, & cruciatus horrendos indecens quodpiam committunt; qualis est servus, qui in gravi tortura hæri sui consilia prodit. Quartus gradus eorum est, qui ad evitandas penas supplicia & mortem turpi flagitio sese commaculant, v. c. abnegant fidem & agnitam veritatem; vel pecunia corrupti patriam produnt, injustam sententiam pronunciant. Quibus gradibus positis dico, quod primum genus, laudem: Secundum reprehensionem: Tertium veniam, commiserationem atq; excusationem: Quartum nec veniam, nec excusationem mereatur.

XXVI. Fuit hæc actio invita violenta, subsequitur actio invita imprudens, quæ ab agente quarundam circumstantiarum ignato proficiscitur (circumstantiæ illæ singulares, hocce comprehensa versiculo; quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando) causa ergò efficiens hujus actionis est ignorantia (non quidem per se, sed per accidens) quam tamen probè discernas à nescientia; hæc enim negationem, illa privationem involvit; nescire enim homo dicitur ea, quæ scire plane non potest; ignorare
autem,


autem, quæ scire potest. Sic quoque differunt ignorantem agere, & agere per ignorantiam. Ignorans agit, qui licet in actione producenda sit ignarus, tamen ignorantia ejus non est præcipua causa malæ actionis, sed aliud quid, quod ignorantiam illam causavit, & induxit, quales sunt affectus vel animi, ut ira, invidia; vel corporis, ut morbus, ebrietas. Sic ebrius peccat cui non ignorantia sed ebrietati causa peccati est. Hic tamen discernatur actio nuda & habitus, spontè, an præter opinionem; deliberatò, an sine animi proposito inebriatus fueris. Per ignorantiam verò is agere dicitur, cui ignorantia ipsa simpliciter fuit causa prævæ actionis. Hæc posterior ignorantia veniam, prior autem non meretur, nisi talem poeniteat, quod propria culpa talem sibi ignorantiam contraxerit.

XXVII. In fine tamen notabis, ignorantiam distribui in ignorantiam universalium & singularium. Ignorantia universalium est ignorare ea simpliciter, quæ in communi vita nobis expediunt; ut an scortari bonum sit, an adulteria licita sint? Jcti eam vocant ignorantiam juris. Jus autem illud hoc loco sumitur, quatenus est regula humanarum actionum, vim obligandi habens. Et est vel naturale, atque ab omnibus notum: (nisi qui præva consuetudine suos mores corruperint, ideoque referunt ad ignorantiam universalium, quia id ipsum universale est, tam ratione subjecti, quatenus omnes homines id noverunt, scire possunt, & debent; quam ratione objecti, quia universalia illa principia in seculo continent: honestè vivere, neminem lædere, suam cuique tribuere: tum etiam ratione effectus, quia omnes obligat) vel positivum, quod à superiori Magistratu est constitutum, & omnes illius potestati subditos obligat. Hoc quia particulares præscribit actiones ad ignorantiam alicujus circumstantiæ pertinet.

XXVIII. Ignorantia alicujus circumstantiæ est ea, quam jam singularium dicebam, estque quando singularium rerum, quæ actionem circumstant, aliquam ignoramus; ut si quis fratrem in prælio interimeret, quem credebat esse hostem. Cum hac convenit illa, quam ignorantiam facti nominant: hæc si dolo careat, nec nostrâ culpa sit accersita, verum subsequenter habeas poenitentiam, excusat & meretur veniam. Ignorantia autem universalium sive
juris

juris non reddit factum invitum, neque meretur veniam, quia
causa delicti non est proprie ignorantia sed potius voluntas & per-
veritas agentis, qui noluit scire ea, quae potuisset & debuisset: hinc
non audiendus quispiam, qui praetendat se nescire, reverentiam
parentibus deberi, aut se per ignorantiam juris incestum, adulte-
rium, vel homicidium furtumve commisisse; haec siquidem jure
naturali sunt probra: quorum ignorance nemo sanae mentis
praetendere potest. Interea actionem quandam suscepturus,
prius de qualitate ejus, & sine cogita, nam Quicquid
agis, prudenter agas, & respice

F I N E M.



Qui Te mature fulgor complevit HONESTIL
Complebit certo Nomen HONORE Tuum

Quod bene ominatus vocet

Johan-Christophorus Ottonis, D.

Denique tu GRASSOS inter procedis, Amice,
Quos penes est omnes non moriturus bonos.
Tunc fores ulloè minor, vel vilior ullo?
Tunc fores generi non bona fama tuo?
Cum seges extiterint reliqui satis ampla, foresne
Tu, praeter stipulam, GRAMEN itemq, nihil?
Non eris. Haec quae jam, sed non prostrata, tueris
Gnaviter è morum divite prompta penu.
Et quae mox ex jure dabis pulcherrima vasto,
Te quoque degenerem non fore, JANE, probant.
Maeste igitur virtute tua, lectissima GRASSUM
Concio, staq, precor, gens bene culta, diu.
Per vos Imperij MAJESTAS ipsa juvari,
PUBLICA RES per vos salva manere potest.
Per vos jura capit miles; quin civicus ordo
Per vos splendorem praesidiumq, capit.

L. M. Q. scrib.

P R A E S E S,



autem, quæ scire potest. Sic quoque diffi-
& agere per ignorantiam. Ignorans agit,
ducenda sit ignarus, tamen ignorantia eju-
malæ actionis, sed aliud quid, quod igno-
& induxit, quales sunt affectus vel animi, u-
ris, ut morbus, ebrietas. Sic ebrius pecca-
ebrietati causa peccati est. Hic tñ. discernat
spontè, an præter opinionem; deliberatò,
inebriatus fueris. Per ignorantiam verò is-
rantia ipsa simpliciter fuit causa præva ad
ignorantia veniam, prior autem non mere-
at, quod propria culpa talem sibi ignorantiam

XXVII. In fine tamen notabis, ig-
ignorantiam universalium & singularium.
lium est ignorare ea simpliciter, quæ in con-
diunt; ut an scortari bonum sit, an adulter
vocant ignorantiam juris. Jus autem illud
tenus est regula humanarum actionum, vir-
est vel naturale, atque ab omnibus notum
svetudine suos mores corruperint, ideoque
universalium, quia id ipsum universale est
quatenus omnes homines id noverunt, sci-
quam ratione objecti, quia universalia illa
net: honestè vivere, neminem lædere, sunt
etiam ratione effectus, quia omnes obligat
à superiori Magistratu est constitutum, &
subditos obligat. Hoc quia particulares
ignorantiam alicujus circumstantiæ pertinet

XXVIII. Ignorantia alicujus circ-
jam singularium dicebam, estque quando si-
actionem circumstant, aliquam ignoramus
prælio interimeret, quem credebat esse hostem
nit illa, quam ignorantiam facti nominant
nostrâ culpa sit accersita, verum subsequen-
am, excusat & meretur veniam. Ignorantia a-

the scale towards document



em agere,
tione pro-
pua causa
causavit,
vel corpo-
rantia sed
& habitus,
proposito
cui igno-
posterior
n poenite-
t.
tribui in
universa-
bis expe-
Jcti eam
itur, qua-
bens. Et
ava con-
orantiam
subjecti,
debent;
se conti-
ere: tum
m, quod
potestati
iones. ad
ea, quam
um, quæ
atrem in
ac conve-
areat, nec
penitenti-
lium sive
juris